9

MARTINUS CRO. MERUS DEI GRA. EPUS VARMIEN. HONLL.

devote nobis dilecto N. N. salutem in Dno. Honbiles in Chro nobis dilecti notum facimus vobis, quod accepimus nuper exemplum lrarum Aplicarum Rmi in Chro Pris, et Illmi Dni Alberti Bolognetti Dei gra Epi Massanen., et in regno Polonia, adiunctisque ei ditionibus Nuncij Aplici signo signatum, et manu subscriptum. Quibus lris indulgetur gra Plenarij Jubilei Chri fidelibus, cuius ipsius Regni Poloniae, et adiunctarum ei ditionum habitatoribus, ad diem omnium Sanctorum etc. Quam volentes in executionem ponere in hac dioecesi, hortamur vos, et in virtute S. Obedientiae praecipimus vobis, ut eam gram Dnico vel alio quovis festo die proximo, ad populum curae, et curationi vrae subiectum germanico et polonico sermone, pro concione sacra, semel atque iterum denuncietis, vel denunciari faciatis ad hunc qui sequitur modum.

Quod quisquis ad supramemoratam diem poenitens Christiano ritu confessus fuerit, et Sanctissimo Eucharistiae Sacramento devote communicaverit, et pro haereticorum ad fidem Catholicam reductione, et S. Romanae Ecclesiae tranquillitate, Romanique Pontificis felici statu, pias ad Deum preces effuderit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem ex gra S. D. Nri Gregorij Papae moderni adipiscetur. Hanc igr liberalem Sti eius gram, ut oes alacriter suscipiant sedulo hortabimini, et ipsi officium quisque suum in eo impigre facietis. Volumus autem ut hunc processum nrum, alius ad alium sibi vicinum Plebanum de more celeriter mittat. Ultimusque in Cancellariam nram referat sub poena Synodali. Heilspergae sub sigillo nro ultima die mensis Septemb. Anno 1583.

30 Sept. 1583.

89

+

Grā Jubilaei ad festum
omn SS.
5 86. 83.